Q. F. F. Q.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MORBIS MAGICIS

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI

MED. DOCT. EJUSDEMQUE PROFESS. PRIMAR. DUCIS SCHLESW. ET HOLS. ARCHIATRI, SOCIETATIS LEOPOLDINÆ COLLEGÆ, ET RECUPERATORUM IN ITALIA SOCII.

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA RITE CAPESSENDI GRATIA

PUPLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTET

CHRISTOPH. MARTINUS BURCHARDUS

Kil. Holſ.

D. 2. Maij Anni Cl͡ɔ DCCIV.

In Auditorio Majori

Horis ante & poſt meridiem conſuetis.

KILONI,

Literis BARTHOLDI REUTHERI, Acad. Typogr.

VIRO
MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO.
DOMINO.
GUNTH. CHRISTOPH.
SCHELHAMMERO.
MAECENATI OPTIMO.
PRÆCEPTORI FIDELISSIMO.
HANC.
DE MORBIS MAGICIS
DISSERTATIONEM.
IN
PERPETUÆ | OBSERVANTIÆ.
GRATAEQUE MEMORIAE.
TESSERAM.
DICAT, DEDICAT.
FOVET.

Witchcraft
BF
1572
M4
S32
BK

C. M. BURCHARD.

CAPUT. I.

De

Magia & Morbis Magicis in genere.

DE Morbis Magicis acturi, id nobis primum incumbere existimamus, ut explicetur, quid *magicum* hoc loco denotet: Ambiguum enim hocce vocabulum est; quippe quod à Magia denominationem suam habet, quam autores in Naturalem, Artificialem, & supranaturalem dividunt, supranaturalem iterum in θεουργίαν ac γοητείαν distinguentes, quasi hæc malorum dæmonum auxilio, ista vero bonorum uteretur. Sed *utramque obstrictam esse ritibus damonum fallacibus, sub bonorum angelorum nominibus sese non raro fraudulenter occultantibus*, recte *Wierus* monet; quicquid etiam videatur Magis nostris hodiernis, spiritus Planetarum ex Agrippa aliisque, suis nominibus propriis commemorantibus; à quibus citatis, quod non raro male mulctantur, si conjurationem non ex præscripto instituant, satis eos admonere poterat, ad quam classem sint referendi. Cessat igitur hæc falso supposita distinctio, & sic Magia nobis denotat *Artem qua homo aliquid efficit, quod alias supra Vires ipsius est, & quidem ope malorum dæmonum.* Ut itaque *Magicum* sit, *quicquid ope illius artis à Magis aut Lamiis est productum.*

Onomatologiam hujus vocabuli sollicite hic scrutari nostrarum non est partium. Philologis potius id operis relinquimus, viderique in hanc rem possunt *Vossii & Martinii Lex. Etymol. Baylii Diction Histor. Critic. & sim.*

Neque magis ad nos pertinet demonstrare, artem talem magicam existere, sed posset à nobis secure supponi. Quando-

quidem tamen poſt quorundam nefarios auſus, *Gabrielis præſertim Naudæi Apologiam Viror. claror. magiæ accuſator.* itemq; *Becceri, vanDale*, aliorumq; qmulti hodie inveniuntur qui eam plane negant, & quæ de iſta referuntur, inter deliramenta reponunt, lubet in eorum gratiam extra pomœria noſtra paulisper exſpatiari, & ejus veritatem paucis, aſt ſolidis rationibus tueri.

Ut autem in demonſtratione εἰ ἔστι, an ſit res aliqua? nullum eſt firmius ipſis ſenſibus teſtimonium, ita & hic illi conſulendi maxime. Quod enim ſenſus fallaces eſſe aliqui hodie contendunt, & propterea nauci habent ejusmodi demonſtrationes, & flocci faciunt, nos parum movet, cum eorum dubitationibus ab allis abunde ſit ſatisfactum, fietque rurſum ſufficientiſſime in Cl. D. Præſidis libro de demonſtrat. Medica, ſi quando lucem videbit. Conſuli interim poterunt, Ipſe, quem his petunt, *Ariſtoteles*, Fallaciam hanc ſenſuum agnoſcens, & accurate diſcernens. III. de Anim. c. 3. it. Metaph. IV. c. 5. & in eum Doctiſſimus *Sonerus*, *Petrus Molineus*, Gallico libro *de Pace Animæ* II. c. 8. *C. Poſnerus Diſp. de Fallac. ſenſ.* &c.

Quoniam vero hæc ipſa Magia (quod omnibus artibus commune eſt) ſub ſenſus non cadit, effectus vero ejus cadunt, per illos de hac judicandum erit. Præterea cum & occulta illa ſit, & occultiſſimis rationibus operetur, ac in diſtans agat ope dæmonum, hinc accidit, ut non omnia, nec omnibus æque contingat videndi, experiendique occaſio. Admittenda igitur erit Hiſtorica fides, qua præter propriam, aliena experientia traditur. Poſtulamus itaque jure noſtro, ut qui non ipſi talia comperta habent, nobis aliisque credant, vera referentibus.

His ita poſitis, teſtes certiſſimas advocamus, cum divinam tum humanam ac civilem hiſtoriam omnem, actaque judiciorum, infinitis prope in locis à viris prudentiſſimis, jurisque peritiſſimis ea de re conſcripta: obſervationes item Medico-

dicorum, aliorumque doctorum virorum, quibus fidem habere tutissime licet:

Primum autem merito, quæ in sacris occurrunt de Magia testimonia, in medium afferimus, utpote ab ipsa veritate; Numine nempe sanctissimo nobis revelata. Quorum alterum nobis præbent Magi Ægyptii, alterum femina Endoracensis. Illud de Magis Ægypt. quamvis adeo perspicue à spiritu sancto sit conscriptum, ut unumquemque de Magiæ certitudine, convincere posset, ab istis tamen novatoribus fuit improbatum, rejectumque. Non enim dæmonum auxilio, sed præstigiatoriis artibus Ægyptios illos miranda sua perpetrasse vulgo eunt persvasum. Sed nimis absona sunt quæ in hujus assertionis fidem afferunt, satisque refutata à D. *Glanvil.* Ut adeo non opus sit, in iis repetendis tempus inutiliter consumere. *Saduceismo Triumphato* P. 11. §. 12.

Sed & satis argumenti esse potest, famosam jam olim propter Magiæ diabolicæ peritiam, Ægyptum fuisse, ex eaque, qvasi prima matre, deinde in alias terras fuisse transplantatam. Uti id *Ill. Conring.* luculenter ostendit: hisque artibus adeo delectatos fuisse incolas, ut tota ipsorum Philosophia, imo etiam Medicina magica exstiterit. Ut adeo mirum sit, dari adhuc homines, qui his tam aperte contradicere audeant: Quod ne quidem *Bôrrichius* facere est ausus, perpetuus alioqui Conringii hostis, & Ægyptiorum hyperaspistes, sed fateri coactus est. *Origenes* autem, quamvis scribat: *Esse quadam vocabula ἐνεργῆ, quibus usi sint Ægyptiorum sapientes*, eo ipso tamen prodit satis, qualis ipsorū illa sapientia fuerit. Verba enim per se nullius efficaciæ esse, nisi accedat pactum, [vel explicitum, vel implicitum, dudum *Jordanus*, *Frommannus*, aliique comprobarunt. Unde etiam *Jamblichus*, cum ipsi à *Porphyrio* objiceretur, verba, quibus sacerdotes Ægyptiorum uterentur, non posse ullas obtinere vires, cum nullam habeant significationem, respondit: *Verba illa] significare aliquid apud Deos.* A Diis enim ista vocabula ad Ægyptios Chaldeosque perve- *Med. Herm. L. 1. c. 13.* *C. 8. Sap. Herm.* *Contra Celsum Lib. 1.* *L. II. de Myster. Ægypt.*

nisse asserit. Dii autem eorum qui fuerint notum est: nam & animalia adorasse, & sub horum specie ipsos dæmones, certissimum. Unde non amplius licet dubitare, illorum Magiam diabolicam fuisse, ab ipsorum quippe Diis, h. e. dæmonibus excogitatam, communicatamque.

Sequitur spectrum Endoreum, à saga quam Saulus Rex Israelitarum consuluit, productum. Quod arte magica evocatum, tam est perspicuum, quam sol, dum sudum est, meridianus. Quod enim quidam, quo nullas unquam lamias exstitisse persvadeant, hic objiciunt, illam fuisse ventriloqvam, sicque Saulo imposuisse, non plane omne solvit dubium. Quamvis enim non sit negandum mulieres Pythias per pudenda fuisse locutas, non tamen ex eo licet colligere, id naturali quadam potentia eas præstitisse: Ut itaque de his reddamur certiores, in requisita necessaria perfecti sermonis paucis erit inquirendum.

Videmus autem nullam articulatam vocem naturaliter proferri posse, nisi adsint 1. Aer, ille enim est proximum instrumentum omnis soni 2. Instrumentum aerem suppeditans, Thorax nempe & Pulmo. 3. Denique Instrumentum aerem temperans & cogens, ut in corporis solidi naturam transiens, sonum edat, Glottis scilicet & conformis ejusdem structura. 4. Quod articulatam efficiat vocem, Lingua. Prout id solide demonstravit ac docuit Cl. *Dominus Præses*, *Diss. sua innug. de Voce*. Horum unum si deficiat, nullus articulatus sermo proferri unquam potest, naturaliter quidem. At non uno sed omnibus istis requisitis Uterum feminarum esse destitutum (præter unum quod glottidem possit referre, unde sonoros nonnunquam flatus erupisse constat, inconditostamen,) sectiones Anatomicæ docent, ita ut nunquam naturaliter vocem, nisi brutam quandam, immanis cujusdam bestiæ, multo minus integros sermones potis sit producere. Tametsi itaque concedamus, nullum Phantasma personam Samuelis referens esse à muliere illa productum, sed per ventriloquium Saulum deceptum, sequitur tamen exinde, non natu-

naturali, ſed ſupranaturali ope mulierem illam hæc peregiſſe, i. e. Sagam illam fuiſſe atque dæmonis conſortio uſam.

Sed ad profanam hiſtoriam tranſeamus: quæ cum in Ægypto, Perſia, & Babylonia, tum inter Græcos etiam, mortalium alioqui φιλοσοφοτάτους, & tandem quoque Romanos Magicas artes floruiſſe, adeoque ad omnium ſeculorum teſtimonia tuto provocari poſſe, ſatis teſtatur. De Ægyptiis jam diximus; De Perſis vero vide *Hiſtor. Relig. Vet. Perſar. de Hyde*, ante paucos annos aditam. Ex Ægypto in Græciam quoque illatas fuiſſe, conſtat ex iis quæ apud *Ill. Conringium* leguntur: Primos ſane Græciæ ſapientes, Orpheum, Homerum, aliosque in Ægyptum peregrinatos, hanc quoque eorum ſapientiam ſecum attuliſſe, imo unice forſan ſectatos eſſe, vix licet amplius nobis dubitare. Pythagoras ex Ægypto redux, Magus fuiſſe, demonſtratur certe ab Heſychio. it. Ammiano Marcellino, qui idem de Anaxagora dicit. Vide & Pythagoræ vitam nuper in Anglia editam. Certe id triennale ſilentium, non alia de cauſa â diſcipulis exigebatur, quam ne emanarent ejus hæc dogmata in vulgus. De Democrito quoque conſtat Magum illum fuiſſe. Unde non eſt mirum, eum puellam cum Hippocrate adventantem prima die virginem ſalutaſſe, ſalve Virgo! altero mane dixiſſe: ſalve Mulier.! poſtquam ea nocte corrupta eſſet. Infinitum eſſet omnia recenſere; quin *Hippocratis* temporibus iam tum magicas curationes, & prædictiones invaluiſſe, conſtat ex libro *de Morbo ſacro, it. Prorrhet. II.* Apud Latinos vero magicas artes itidem in pretio fuiſſe, ex Virgilii Pharmaceutria, & Horat. ſat. 8. elucet: ita enim iſte:

Herm. Medic. p. 107.

περὶ Σοφῶν.

Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, paſſoque capillo
Cum ſagana majore ululantem: pallor utrasque
Fecerat horrendas aſpectu) Scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in foſſam diffuſus, ut inde
Manes elicerent animas, reſponſa daturas.

L. 28. c. 2. & 30. c. 1. Plinius quoque dari artes magicas fatetur: rejicit tamen eas, ut vanas, atque irritas. Galenus contra quamvis nihil eas posse, crediderit antea, in libro tamen de iis quæ apud Homerum occurrunt, vim ipsis inesse magnam, experientia convictus, fateri cogitur: quo viro alioqui nemo minus credulus, nemo falli minus idoneus extabat, callentissimus enim erat demonstrandi artis, quam ipse XVII. libris integris descriptam dederat, tradideratque. Tandem vero ipsi Ethnici, cum plus damni quam emolumenti ab hisce artibus humano generi evenire cernerent, eas ut illicitas damnarunt, & Magorum licentiam legibus cohibuere. In quod nota est Lex. XII. Tab. *Qui fruges incantassit*. Absurdi autem fuissent; si legibus prohibuissent, quod à nemine unquam fuerat perpetratum.

Verum enim vero non à sapientibus solum Magia fuit exculta, sed latius contagium serpsit, ita ut totæ etiam gentes ab ea quasi labe fuerint infectæ. Sic de Marsis Plinius testatur, illos oculis suis alios homines fascinare potuisse. Quamvis autem ille causis naturalibus hanc potentiam adscribat: *Natura, dicens, in quorundam toto corpore, in aliorum oculis venena gennit, ne quid unquam mali existeret, quod in homine non esset*, non tamen in eo est audiendus, cum absolute impossibile sit per visum alicui nocere, naturaliter quidem: visum enim per receptionem, non emissionem radiorum fieri, hodie omnes habent persvasum: Qui tamen plura cupit de fascino visus, adeat *Frommannum*, qui hoc fusius refutavit.

L. de Fascino.

Porro de Lapponibus etiam notissimum, eos ventos vendere licitantibus, tympanoque characteribus insigni & alia præstare, & collapsos in ecstasin momento citius in dissitissimis regionibus acta petentibus renunciare. Qualia tympana in Regiis Sveciæ cimeliis, Wolffenbuttelensibus etiam & Lubecæ in testimonium ostenduntur.

Vid. Olaus Magnus.

Quid? quod olim in scholis publice Magia fuerit tradita, qualem quondam fuisse Salmanticæ in Hispania, Conringius tradit.

tradit. In qua eam quoq; Cornel. Agrippa hausisse fertur. Neque in his ipse à nobis dissentit Wierus, sed Constantinopoli homines esse, qui eam doceant publice & quæstum inde accipiant, nos certiores facit. *de Præstig. dæm. Lib. II. c. 15.*

Plura ex historiis colligere supersedemus: Transgressum potius facimus ad tertium nostrarum probationum membrum, Judiciales nempe de Lamiis Magisque processus. Qui quamvis à Viris & experientia & judicio instructis, prudentissimisque, diversis etiam in locis fuerint habiti, à contrariæ tamen sententiæ patronis rejiciuntur. Modo judicum ignorantiam, aut animum præjudicio captum, modo fallacia Magiæ indicia increpantibus. In quem finem etiam D. Bodinus nuper disputationem de Fallac. Indiciis Magiæ conscripsit. At vero, licet doctiss. Autor omnia alia signa ut vana damnet, unum tamen admittere cogitur, stigma nempe illud decantatum, quod dæmonem suis confœderatis imprimere, certum nos reddunt, qui in hæc sæpius inquisivere. Tale enim, quale Autores isti describunt, quod nempe acutissimorum instrumentorum ictus facile eludat, neque per vulnera neque morbos aut denique, quam hic crepant, melancholiam unquam produci possit, tot annorum experientia, & rectæ rationis dictamen sufficienter evincunt. Ut adeo certi esse possimus, illos, qui hoc charactere fuerint insigniti, (fuerunt autem quam plurimi) à Dæmone fuisse notatos, ipsiusque genuina fuisse mancipia. *Bodinus Remig. Delrio.*

Pervenimus denique quarto loco ad effectus Magiæ, quibus nullum firmius certiusque datur argumentum. Certum enim & invictum est: Quicquid superat naturæ, hominumq; vires, vel Dei, vel dæmonum auxilio esse productum, Quamvis enim harum artium patroni tertium quid, Planetarum nempe Spiritus substituant, prudentioribus tamen illud non immerito est suspectum, cum istis dæmonibus nulla sit fides, facileque mentiri se alios possint, miserisque imponere mortalibus, in actu illicito versantibus. Præterea notandum maxime

xime, ab Ægyptiis profectam esse hanc de spiritibus planetarũ Doctrinam. Illos autem non cum bonis, sed malis spiritibus commercium habuisse, & ab iisdem sua arcana didicisse, certum nos reddunt quæ antea ex. Ill. Conringio attulimus, & in *Kircheri Oedipo Ægyptiaco* passim leguntur

Rejicimus igitur merito fictitios illos spiritus, & ea quæ naturam superant, Deo aut dæmonibus adscribimus. Cum autem Deus naturæ cursum non invertat, nisi in casu necessitatis, facile liquet, cæteros effectus, qui hanc pro fundamento non habent, fœtus esse suppositicios, dæmonumque veram progeniem

Nolo autem hic latiùs recensere, quæ de Alberto Magno leguntur. Quod tempore hyemali, sub rigido, nivibusque infesto cœlo, invitato ad convivium Cæsari, momento citius gratissimas florum varietates, avium dulcissimos cantus, aliaque quæ nobis lætior anni ætas præbet, repræsentaverit & postea iterum fecerit disparere: Non commemoramus quæ de Simone, famosissimo quondam Mago, aliisque referuntur historiæ: Sufficiat unam aut alteram adduxisse ex iis, quas recentior nobis ætas reliquit. Notabilis autem præ cæteris sequens est, utpote quam à Pastore qvodam, viro fide dignissimo, ipsus accepi. Tradita ipsius erat informationi puella quædam, Magiæ accusata: A qua cum petiisset, ut ostenderet artis suæ aliquod specimen, minime illa abnuit, sed in præsentia ipsius, & Nobilis cujusdam Matronæ, aliquot mures minores, hinc inde cursitantes illico produxit, & protinus, qvoties lubuit, ex conspectu iterum subduxit. Hanc ipsam dæmon postea à carcere, cancellis ferreis munito, liberavit, ita ut nemini unquam ab illo tempore apparuerit. Quid? quod Ecclesiæ ille Antistes præsens vidit dæmonem, sub forma canis minoris, jugulum alterius cujusdam sagæ, cum in custodia detineretur, invadere, precibusque abegit. In Ill. *Conringii* nobili prædio accidisse ab ipso

pso audivit Dominus Præses, ut Mulier quædam linteum ad molæ, vento versatilis alas, magicis admurmuratis verbis, suspenderet, qvo exspectatum & non venientem sponsum arcesseret: qui cum pari qua movebatur molaris rota, cursu per mediam noctem advolaret, labore sudoreque debilitatus, ut morti proximus, ad pedes Dominæ concidit. Hoc cognito, ipse à promisso matrimonio absolutus, illa vero gravibus pœnis mulctata est.

Neque domestica tantum & privata artis magicæ exempla prostant, sed publica etiam, & integrarum nationum. Sic de Turcis tradit *Georgievizius*, *libello de moribus Turcarum*, illos habere artificium, servos fugitivos retrahendi, nomine mancipii in schedula scripto, dirisque devoto: qvo facto, *fugiens putat sibi in itinere vel leones vel dracones occurrere, mare vel flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere, iisque terriculis repulsus, ad herum redit.* Idem quoque adhuc præstare lamias, olla igni certis ceremoniis admota, notissimum. Possunt hæc sufficere ad Magiæ certitudinem demonstrandam, superant enim ista naturæ hominumque vires, ideoqve non nisi dæmonum auxilio peragi potuerunt. Hæc vero præfracte negare, & autoritatem Clarissimorum virorum in dubium vocare, temerarii & impudentis ingenii foret: est enim illud principium ab omnibus doctis agnitum & receptum, ut viro erudito, bono, & qui non habet animum decipiendi, tuto fidem possis adhibere, id ergo qui negant se facturos, nulla deinceps responsione dignos judicamus.

Demonstrata sic, tum ex sacris tum profanis historiis Magiæ existentia, reliquum erit, ut argumenta Adversariorū paucis etiam examinemus. Primum itaq; quod afferunt est: *Nullum dari inter dæmones hominemq; pactum*, ergo nullam quoq; artem Magicam: *absurdum* enim putant *credere, dæmones in tantum se demittere, ut contrahant cum hominibus stolidis, lucricupidis, & bipedum omnium nequissimis (tales enim præ cæteris ad pactum cum dæmonibus inclinare) cum isti etiam absque illo pacto, dæmonum jam sint mancipia.* Quicquid autem sibi pars adversa de hoc argumen-

mento promittat, non tamen tanti illud est habendum, quanti venditant: Neque enim sequitur, qvoniam ipsi rationes, qvæ dæmones ad pactum contrahendum impellunt; non perspiciunt, ergo plane nullum inter dæmones magosque intercedere. Præterea non una causa est quæ dæmones ad istud persvadere potest: Primo enim occasionem nanciscuntur, generi humano, cui propter Creatorem suum sunt infensi, nocendi, & opera tenebrarum, quod ipsis proprium est, exercendi; quod tum demum licere, cum ex humano cœtu consentientem & cooperantem sint nacti, inquisitiones magicæ constanter docent. 2. Ut Divino Numini summam quæ esse potest, injuriam faciant, dum suis adscribunt cœtibus, quos tantis doloribus & cruciatibus sanctissimo suo sanguine Misericordissimus Salvator redemerat. 3. Ut alios, & quidem maxime infantes innocentissimos, eo facilius per suos confœderatos seducant. 4. Ut ipsos deinde eo certius in servitio suo retineãt. Notum enim, mortaliũ sæpe pessimos, in sacris cœtibus perculsos, vitam moresque subito mutasse, & ad frugem rediisse. Quod cum dæmones non ignorent, exigunt ab iis, cum quibus pactum feriunt, ut exsecrato Divino Numine, rescissoque sacri lavacri fœdere, conventus sanctorum fugiant deserantque, adeoque omni cœlesti auxilio in æternum priventur. Vide Wierum quem ipsum adeo consentientem habemus.

Frivolum autem admodum est, quod alii objiciunt: *Non posse dæmones pactum contrahere, cum nullum possint adsumere corpus.* Primo enim notandum, non necessarium esse, ut ad hunc actum corpus assumant. Non enim semper ad pactum requiritur, ut fiat stipulata manu, sed sufficit nuda & mutua repromissio. Deinde falsissimum hoc esse suppositum, omnium seculorum experientia testatur. Nam & sœpe cadavera induisse compertum, & circumfundere sibi corpus aereum, vel aliud ipsos posse, certissimum.

Multo vero magis frivola est, quam novũ ad tuendam hanc suam sententiam causam afferunt: *Dæmones nempe corpora movere non*

re non posse, & æquè cum priori illa falsa & absurda. Unde enim id sciunt ? quo fundamento nititur tam grande paradoxon ? Scilicet in ipsorum cerebello nudius tertius natum quia est. Ne tamen hocce absque fundamento asserere videantur, pergunt, dicentes: *Impossibile esse spiritus, cum sint substantiæ cogitantes, nullæ extensione præditæ, in corpora naturalia agere posse.* Sed unde illi norunt, essentiam spirituum sola cogitatione circumscribi ? certe cogitatio est mentis nostræ quædam operatio, non essentia, eaque extra cerebrum, tanquam organon, fieri non potest, prout Cl. Dominus Præses alibi docuit, & clarissime demonstravit: De aliis vero spiritibus nullo pacto dici potest, eos cogitare. Certe longe alio modo ipsorum ratiocinationes fiunt, quam nostræ. Quo tamen concesso, ostendendum erat, substantiam cogitantem corpora movere non posse: Inane enim hoc esse assertum vel anima nostra docere ipsos poterat. Concedent enim sine dubio (nisi novissimi scriptoris Angli animam rationalem nil nisi corporis proprietates esse existimantis, sententiæ subscribant) eam esse spiritum; neque tamen propterea denegata ipsi est potestas corpus suum pro lubitu movere, ac circumferre. Iterum instant: *Hanc virtutem, non animæ, sed Deo potius esse adscribendam, cum anima nostra nil nisi occasionem ipsi præbeat ad hunc vel illum corporis motum præstandum.* Nonne vero hic in Scyllam incidunt, qui admodum sollicite Charybdin evitare studebant? Quid aliud summum Numen est qvam Spiritus, & secundum ipsorum sententiam Ens cogitans, immateriale, extensionis expers? Qui ille corpora movere potest, si spiritui id denegatum penitus est? Sed hic aqua ipsis hæret, cum admiranda Dei opera satis evincant, non involvere contradictionem, spiritum esse, & corpora movere posse.

Præter Deum autem cæteros etiam spiritus in corpora agere posse, ostendunt, quæ Reg. II. c. 19. leguntur de Angelo, quod una nocte tantam in exercitu Assyriorum dederit stragem, ut centum & octoginta quinque millia virorum fuerint desiderati. Sed forte Divino numini, angelisque id licet,

dæmonibus non licèt : Sed si Angelis est concessa potestas in hæc inferiora, quidni dæmonibus malis idem liceat ? Sunt enim & ipsi Spiritus, neque a bonis Angelis essentialiter differunt. Unde etiam varia ipsorum potentiæ testimonia in sacris occurrunt ; unum tamen instar omnium esse poterit, quod legitur Lucæ VIII. 3. hominis, qui tota legione malorum dæmonum infestabatur. Neque ista de morbis esse intelligenda, aut per somnia melancholica explicari posse, multo minus peccata esse illos, qui obsederant miserũ, spiritus, quod Beckeri est delirium, tota illa ostendit historia. Obsessus enim Christum vocabat Filium Dei, cum tamen eum antea nunquam vidisset, & rogabant deinde dæmones, cum viderent se non posse resistere divinæ Salvatoris nostri potentiæ, ne ad orcum ipsos statim relegaret, sed permitteret ipsis, porcorum gregem invadere, quem etiam deinde in mare præcipitem dederunt : quod de morbis aut peccatis explicare velle, stultitiam sapit maximam.

Sed multo plura atque majora in profanis historiis exempla occurrunt, quibus potentia spirituum in sublunaria manifestatur. Præ cæteris tamen omnibus Oracula Gentilium perpetuum Satanici imperii sunt monumentum. Ea enim non sine variorum corporum motu, aeris multifaria modificatione, pressione, explosioneque fieri potuere. Neque in illis omnibus fraudem Sacerdotum esse accusandam, quod van Dalen persvadere ausus est conatu improbo, credi potest : Primum enim multa futura recte & sine ambagibus prædixere, v. g. Cum Tarquinii præsente Bruto, Oraculum Delphicum, quis regno sit potiturus consulerent, responsum tulit : Illum regnaturum, qui primus matrẽ oscularetur. Quam oraculi sortẽ in Bruto, magnam matrẽ terram osculo excipiente, eventu comprobatam esse, Livius testatur. Quibus accedit Theodosii temporibus exercitata Alectoromantia, ubi Gallus, diabolo dirigente, hordei grana rostro legit, relictis futuri Cæsaris initialibus literis impositis. Multo magis obvium foret, si satis certum,

post

post nativitatem Christi protenus obmutuisse, nec ulla amplius responsa oracula edidisse, quod Lactantius, Athanasius Justinus Martyr, & plures alii commemorant: sed subleſta hic est patrum fides. Reliqua tamen omnia an hominum fallaciis & imposturis possint adscribi, ego quidem valde dubito. Ceterum rogatum volumus incredulum nostrum van Dale, si de Oraculorum fide adhuc dubitet, adeat gravissimum rerum Indicarum scriptorem Josephum A Costam qui, in America, cum ibi esset, oracula adhuc extitisse autoptes pleniſſimam facit fidem: de eorum vero Regno ad Israelitarum exemplar composito mirifica refert.

Quamvis itaque ex his patere credid erim, dæmonum in hæc sublunaria potestatem esse maximam, non tamen illimitata ea est, sed certis inclusa terminis, quos transgredi nullo modo potest. Si enim omnia malis licerent dæmonibus, odio divini numinis & ambitionis immensæ furiis agitati, brevi totum hoc universum pessundarent ac penitus destruerent. Multo minus supra naturæ vires quicquam possunt: Id enim solius Dei est; sed contra naturam tantum. *Vid. Excell. Præsidis L. de Natura. 1, c. 9.* in quo plura de his exstant.

Stupenda tamen ea sunt, quæ nonnunquam efficiunt opera, adeo ut supra naturam nobis videantur, quantumvis non sint. Videntur vero, quia nos, quibus, & quo potissimum modo utantur, ignoramus. Neq; hoc mirum, cum enim homines interdum talia ope aliorum corporum naturalium efficiant, quæ simpliciores in admirationem trahunt: Multo magis id poterunt spiritus, nobis longe subtiliores, potentiores, celeriores q;. quippe qui tot annorum experientia instructi, non possunt non multo melius quam homines omnium vel plerorumque saltim corporum callere essentias, & qvid unumquodque agere aut pati possit, habere perspectum.

His præmissis, ad nostrum thema propius tandem accedi-

mus, ut quid circa corpus humanum valeant dæmones, dispiciamus. Non enim & hic vires ipsis deesse, sed illud variis posse vexare morbis, tristis docet experientia. Quod ne ipsos quidem Ethnicos latuit. Hinc veteres Chaldæi, itidemque Græci illos Cacodæmones vocabant, quod morbis, aliisque malis miseros mortales affligerent. Hæcque causa est, quod τὸ θεῖον in quibusdam affectibus Hippocrates agnosceret, & accusare coactus sit: Quale quid etiam adhucdum passim in morbis obvenire, exemplis postea demonstrabimus.

Antequam tamen id fiat, quæstionem hic instituimus: An Magis quoque liceat morbos humano corpori infligere, & illud variis vexare malis? Ad quam non nisi affirmando respondere possumus. Si enim dæmonibus id licet, cur non itidem Magis idem liceat, utpote dæmonum opera utentibus? Dæmones enim, præterquam quod hominibus sunt infesti, & instinctu quodam interno in pernicem eorum feruntur, obstricti sunt etiam vinculo fœderis inter ipsos magosque intercedentis, ut ipsorum cupiditatibus satisfaciant. Adsunt præterea ipsa Magorum testimonia & confessiones coram judicio, toties mortem, sæpius morbos, variaque damna hominibus se intulisse: ut itaque nullum dubium sit, dari morbos magicos, à magis dæmonum ope productos. Non enim existimandum, magos physice in effectum influere, sed quicquid peragunt, dæmonum ope perficitur. Qui enim, quæso, illi suis imagunculis, ollis absonditis, characteribus, incantationibus, aliisque suis nugis quicquam efficerent, cum notissimum sit, nullum corpus naturale in aliud agere absque contactu posse. Unde etiam *Schaliger: Ipse* inquit, *dæmon agit, quod stultus ille ac vecors magus suis verbis agere se putat.* Operantur itaque Magi, inducunt morbos, fortunis hominum insidiantur, non tamen suis, sed dæmonum artibus atque cooperatione.

Sequitur nunc altera quæstio: An morbi magici à naturalibus differant? Respondemus: non unius generis esse morbos magicos: Alii enim nihil habent commune cum naturali-

turalibus: ut obsessio. Qua qui laborant, peregrinis linguis, antea nunquam ipsis notis, loqvuntur, futura portendunt, ea, quæ in dissitissimis fiunt regionibus, ac si præsentes adfuissent, referre sciunt, taliaque præstant, quæ naturæ sphæram plane superant. Unde etiam non cedunt naturalibus remediis, sed precibus potius, & divino auxilio superantur.

Neque secunda classis magis cum naturalibus convenit, in iis enim plerumque ne morbus quidem adest, sed mera tantum symptomata, & quidem causarum. Convulsiones nempe, dolores exquisitissimi, deliquia, &c. Excernuntur insecta, lapides, pili, metalla variaque artificialia. Unde etiam, paroxysmo cessante, caussisque per vomitum vel alvum remotis, aut signis sive instrumentis magicis destructis & concrematis, bene habent ægroti, donec dæmon talia vel similia, vel prorsus alia iterum in corpus immittat, sicque tragœdiam modo finitam de novo inchoet. Quod autem Wierus existimat, ea quæ rejiciuntur non revera in corpore præexstitisse, non ubique est verum: sæpe enim talia in ventriculo adhuc latentia, aut per œsophagum in gulam adscendentia, ipso tactu cum ægri tum adstantium sunt deprehensa. Sic in pueri cujusdam, apud *Mercklinum* descripti, ventriculo ranæ coaxantes fuerunt auditæ, & *Alexandri Benedicti* ægra, postquã varia evomuisset, iis tandem hærentibus, strangulata est. Vere itaque dæmon clavos, acus, pilos, aliaque absurda in corpus immittit, iisq; quasi instrumentis utitur ad varia producenda symptomata. His vero excretis, illico ægri recte valent, nisi quod insignis remanet virium debilitas: nullo interim morbo apparente. Caussis enim ejectis non possunt non & ipsa symptomata ab illis excitata, simul cessare.

Sequitur denique tertia classis morborum magicorum, quæ fortassis à naturalibus non differunt. Hujus generis sunt *Atrophia*, *Marasmus*, quo magnus qvondam Germaniæ Princeps consumptus periit. *Deliria* item *Melancholica*, *Diarrhœa* &c. qualem maleficio inductam observavit *Mercatus Tom.* 3. In eo tamen omnes Magici à naturalibus differunt, quod spiritus se illis

illis immiſcent, & cauſas morborum dirigunt. Ut itaq; nunc demum pateat, *Morbum magicum eſſe, qui habet primum movens ſupra naturam poſitum, & quidem dæmonem.*

CAPUT II.

De

Cauſis Morborum Magicorum.

SIc eradicanda erant dumeta, & ſentes removendæ, antequam libero & expedito itinere procedere poteramus. Nunc poſtquam certi ſumus, dari Magiam, morbosque magicos, in cauſas ipſorum paullo accuratius erit inquirendum.

Dæmones primas in his tenere partes, nullum dubium eſt, cum hujus generis morbi, utpote naturæ contrarii, absque horum opera produci non poſſint. Non tamen hoc ita intelligendum, quaſi in effectum immediate ſemper influant. Norunt illi morborum naturam, norunt eorum cauſas, iisque pro ſcopo ſuo in detrimentum hominum utuntur. Humanum enim corpus, quamvis omnium corporum naturalium perfectiſſimum nobiliſſimumq; ſit, non tamen eſt exemptum ab imperfectionibus illis, quibus cetera ſunt obnoxia. Eſt enim itidem Legibus Naturæ ſubjectum, & cum cæteris rebus naturalibus id habet commune, ut perpetuæ mutationi ſit obnoxium; atque hoc eo magis, quo magis aliorum corporum uſu opus habet. Indiget enim aere ut vivat, utitur cibis & potu ad ſanguinis ſpirituumq; reſtitutionem. Qui, ſi in debita & quantitate & qualitate aſſumantur, ritequeiterum excernantur, bene ſe habet œconomia ipſius, ſi contra, turbatur plerumque, & nonnunquam plane deſtruitur. Præter hæc ſunt alia multa quæ eam conſervant, ſi debitus in iis obſervetur modus, ſin minus, alterant eam, atque invertunt. Talia ſunt motus & quies, ſomnus & vigiliæ, & denique animi pathemata. Tandem etiam inveniuntur, quæ humanæ naturæ

plane

plane ſunt contraria & infeſta ; Venena puta , eaque omnia quæ humores & maſſam ſanguineam diſſolvere ſubito , & corrumpere poſſunt.

Hæc ſunt quæ ipſa natura in perniciem hominum ſuppeditat, & quibus et am dæmones in eum finem utuntur, variaque morborum genera producunt.

Immediate tamen morbos inferre poſſe dæmones, irritando nervos, contorquendo membra, multosque motus inordinatos peragendo, ſuo nos obſeſſi docent exemplo. Qui tamen non ad nos, ſed animarum potius medicos pertinent. Medicamenta enim ſunt corpora, horum autem nullum in ſpiritus imperium.

Præter dæmones Magos quoque ſuas in hiſce morbis tenere partes , certiſſimum. Non qvod Phyſice in effectum influant, ſed ut ſymbolum tantum afferant, atque conſentiant dæmonum machinationibus. Ne tamen quis amplius dubitet , & per Magiam naturalem illos hoſce morbos poſſe proferre exiſtimet , lubet illas , quas Magi ad faſcinum adhibere ſolent operationes, paulliſper hic recenſere atque examinare.

Et primo quidem per viſum illos poſſe nocere , & antiquis & noſtris adhuc dum temporibus , creditum. Teſtis *Virgil. Eclog.* 3.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. De totis nationibus in Triballis & Illyriis , quod oculis ſuis effaſcinent , interimantque quos diutius intueantur , Plinius auctor eſt *Lib. VII. Nat. Hiſt. c.* 2. De Arabiæ populis quibusdam teſtatur *Della Valle* , quod cor hominis obtutu exedere poſſint. Refertque hiſtoriam juvenis , qui , juſſu Præfecti illius regionis , medullam melonis viſu conſumpſit , integra cortice ſuperſtite. In Hiſpania quoq; inveniri tales homines *Aunoy ain ſuo itinerario notat.* Et quod mirum eſt , exemplum affert hominis, cujus alter oculo tam malignus erat, ut illo brevi temporis ſpatio gallinas aliaque animalia interficeret, altero plane innoxio. Nolumus jam inquirere , an naturaliter tanta malignitas hominum oculis ineſſe poſſit, an dæmonibus hoc faſcinum potius ſit adſcribendum, cum id â Majolo , Fromman-

no, Reies, aliisque abunde sit factum. Eo tamen res omnis redit, visiones fieri non emissione, sed receptione radiorum, unde quicquid per visum infertur damni, non naturaliter, sed supranaturaliter evenire.

Idem de Incantatione judicandum. Verba enim per se nihil posse, nisi accedat pactum vel implicitum vel explicitum, jam supra ostendimus, legi in hanc rem potest *Frommannus*, qui hic prolixus satis est. Unde mulier à *Remigio* P*art. I. p.* 192. descripta, non verborum suorum virtute collum viri fregit, cum qvo inimicitias alebat, sed dæmonis sui opera atque auxilio. Quod ex alterius cujusdam sagæ exemplo patet, coram judicio profitentis; se solis verbis & maledictionibus sæpissime hominibus nocuisse, ex fœderis sui vi & efficacia.

Sequitur tertio afflatus, quo usa est Cæsalpini Saga. Cum enim igni imponeretur, ut pœnas suorum criminum daret, lictorem afflavit dicendo: En Tibi mercedem pro tua officiositate. Cujus exinde facies tota in tumorem abiit. Tametsi vero, si obiter intueare, ad naturalium classem hic actus referendo videri queat, cum pravus & corruptus spiritus multum detrimēti inferre possit, uti id ex Phthisicis elucet, alios suo malo inficientibus: tamen hic non videtur huic suspicioni locum esse: Unde enim tam subita halitus sagæ corruptio, quæ si in ipsa interna talis causa latebat, qvi poterat eo usque vixisse?

Tactu quoque fascinant sagæ, morbos inducunt, fœtus in utero matris occidunt, quale exemplum affert Cæsalpinus. *Frommannus* ex *Medero*, refert de saga, quod mariti dorsum manu sub benevolentiæ specie percutiens, tumore & atrocissimis doloribus affecerit. Sed quis non videt supranaturale quid hic subesse, unde enim tanta in Lamiarum corpore malignitas? aut si talis naturaliter inesse posset, qui illa in momento per vestes omniaque integumenta penetraret? taceo, quod non omnibus noceat illarum contactus, sed iis tantum, quibus nocere cupiunt: quod ex Remigio, Delrio, allisque patet.

Idem quoque de pulvere sagarum notandum venit. Hic enim vel solis vestibus adspersus, aut in limine publicisque viis pro-

projectus, ægritudines, sterilitates, mortesque producit, hominibus, æque ac brutis; non tamen omnibus sine discrimine, sed iis tantum quibus sagæ sunt infestæ. Sic Remigii Lamiæ disseminato in pratis pulvere, quinque tantum vicini sui boves ex tota grege jugulavit, salvis cæteris omnibus. Accedit, quod eodem pulvere & valetudinarios reddant ægros, & sanitati iterum restituant: uti idem pag. 169. annotavit, & exemplis docuit certissimis. Hoc autem à naturalibus remediis exspectari minime potest.

Projicere qvoqve herbas in semitis solent, & transeuntibus nocere. Alii reconditis sub limine aut lecti stragulis, ollis, aliisque nugis insidias struunt suis inimicis. Sterilitatem toti familiæ induxit, ne pecore quidem excepto, Magus quidam, defosso sub limine domus serpente, qui alioqui ne comestus quidem lædit.

Notus quoq; vulgo detestandus ille mos est, quo imagines cereas, nomine ejus quem fascinari cupiunt, appellatas, acubus atque igne macerant, sicque exquisitissimos dolores cruciatusque misero ægro excitant. De quo jam olim Poeta

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit
Et miserum tenues in jecur urget acus

Pari modo prorsus, quo etiam nunc utuntur. vide *Glanvil.* qui illustria habet exempla, ne nunc provocemus ad illud qvo summus Germaniæ Princeps ante haut ita multos annos, corde exarido plane & exsangui post mortem reperto, assâta ejusmodi ad ignem imaguncula, extinctus est.

Hi fere sunt, quos Magi adhibere solēt, modi: In quibꝰ omnibus nullam per se istiusmodi efficaciã esse, sed ea ex pacto tantum agere, facile liqvet: Pleraq; enim *primo* in distans operantur absq; contactu, quod supra naturæ vires est: *secundo*, ex intentione artificis, Magi, agunt, quod à rebus brutis & nulla anima rationali fruentibus sperari non potest. Præsupponunt itaque hæc intelligentiam quandam quæ ea moveat, dirigatque, Dæmones puta. Nam præter hos nullum hic principium movens, & intelligens invenire licet.

Cum itaque certum sit, dæmones in morbis magicis choream ducere, inqvirendum nunc erit, quibus ad hos producendos utantur causis: non enim immediate in effectum semper influere eosdem, sed naturalia adhibere remedia, jam superius diximus. Ex horum classe sunt, quæ Medicis sub Nonnaturalium nomine comprehenduntur: Horum enim interventu, quicquid est morborum, dæmones feliciter imitari sciunt. Quid enim facilius quam Aerem malignis implere particulis? Cibos Potumque veneno inficere? aut alio modo alterare. Hæc enim homines, quoties id nobis lubet, præstamus; multo magis itaque dæmones id poterunt, utpote qui, & rerum naturalium cognitione & experientia nos longe antecellunt. Sic venenatum pyrum Remigii Saga dæmonis sui jussu in via reposuit, ut vir quidam, quo cum inimicitiæ ipsi erant, eo vesceretur: quo facto, illico male se habere incepit, morbumque contraxit. Idem quoque de cæteris rebus Nonnaturalibus judicandum: Somno & Vigiliis, Motu & Quiete, Excretis & Retentis; His enim se quoque posse immiscere dæmones, nullum dubium est. Præ cæteris animi etiam pathemata considerationem merentur: quantum enim Timor, Tristitia, Melancholia &c. in humores, massamque sanguineam habeant imperium, nemini non est notissimum. Hæc autem dæmones fortassis pro lubitu excitant, sunt enim illa in anima nostra, cum qua, utpote Spiritu, illos commercium, habere, ipsique varias ideas præsentare posse, nobis inscio & plane incognito modo, certissimum. Memorabilia in hanc rem sunt quæ *Wierus ex Pselli* XIV. capite adducit, quibus, quo pacto se cogitationibus nostris immisceant, mediique interveniant, egregie docetur.

Secundam causarum classem constituunt, quæ Medicis Præternaturales audiunt, in ipsis corporis nostri visceribus latentes. Tales sunt stagnantes & corrupti humores, atra bilis, prava partium dispositio, imbecillitas &c. Hisce si dæmones uti velint, varios morbos producere possunt, a naturalibus tamen nihil, discrepantes, nisi quod dæmones illo-

illorum primi sint autores. *Humores pravi*, Conringius inquit, *moveri nonnunquam à Dæmonibus possunt, ut naturales itidem morbi isti sint, sed quibus se Dæmon medius immiscet, in iisque nidificat, atra sive sit bilis, quo melancholicos efficit, sive alius corruptus humor.*

Præter Nonnaturales tamen & præternaturales aliæ etiam sunt, quibus dæmones in morbis magicis utuntur, causæ, Medicis toto genere præternaturales dictæ. Vermes puta, insecta, cultri, aliaque artificialia, metallica etiam, lapides &c. Harumque opera convulsiones, dolores, vigilias, & horrenda quæque accidentia proferre sciunt: Pungunt enim hæc dilacerantque adjacentia, ita ut neque sine maximis cruciatibus in corpore gestari, neque sine summo periculo rejici possint. Horrendum est exemplum, quod ex Langio Schenckius affert, rustici, qui ferreum clavem è latere exscindi sibi passus, postea guttur sibi præscidit, doloribus immanibus victus. In cujus deinde dissecto ventriculo lignum teres, oblongum, quatuor cultri, partim acuti, partim instar serræ dentati, ferramenta item aspera, spithamum longa, aliaque fuerunt reperta. Duas puellas habet Alexander Benedictus, qvarum altera acum crinalem, capillamenta muliebria, cum unguium resegminibus involutis evomuit, eadem nocte strangulata; Altera, præter dicta, caudam caninam. Puer Mercklini varia insecta, busones, ranas, viperam aliaque per vomitum excrevit: Et quod mirum, insecta illa puerum prosequebantur, quasi amore ejus flagrarent. Vipera vero sæpius ab ipso excreta, effugiebat, & nihil hoc opinantem iterum aggrediebatur, seque per os in ipsius ventriculum denuo immittebat.

Quemadmodum autem Res nonnaturales & Præternaturales Morborum; sic modo recensitæ, Symptomatum existunt causæ. Unde etiam quando hæ solæ in corpore adsunt, nullus verus morbus adest, sed mera tantum Symptomata, quæ etiam causis remotis simul recedunt, nihilque morbi post se relin-

quunt. Sic Codrōnchii filia toties reconvaluit, quoties instrumenta magica destruerentur, donec deinde suppeditatis novis morbi fomitibus, malum redintegraretur. Si vero cum nonnaturalibus & præternaturalibus conjungantur, alia longe mali exsurgit conditio: præter symptomata enim morbus verus adest, qui etiam, symptomatis cessantibus, perseverat. Matronam qvandam maleficiatam olim novit Excell. Dn. Præses, quæ rejectis licet per alvum variis seminibus, arenis, pilorum fasciculis &c. non tamen melius se exinde habere cœpit, sed continua diarrhæa, doloribusque nimiis satis diu debilitata, tandem morbi violentiæ succubuit.

Hæc de causis morborum magicorum fuerunt commemoranda. Opus nunc erit, ut eorum signa & Medendi Methodum exponere aggrediamur.

CAP. III.

De

Signis Diagnosticis Morborum Magicorum.

PErvenimus jam ad signa morborum magicorum. De quibus aliquid solidi proferre, difficile profecto est. Raro enim occurrunt isti morbi, ita ut vix decimus quisque, imo vigesimus Medicorum eos videndi occasionem nanciscatur. Hinc accidit, ut non omnia phænomena ipsorum omnibus sint nota, imo pleraque eorum multis habeantur suspecta & dubia: In causa est, qvod Morbi nonnunqvam naturales & ordinarii occurrant, horrendis adeo stipati symptomatis, ut magicorum speciem præ se ferant: Sed & antea notavimus, dæmones sæpe eosdem, quos alias natura sibi relicta solet, morbos proferre: Utuntur enim iisdem causis

cauſis à quibus naturales morbi dependent, ut adeo non poſſit non idem quoque effectus exinde provenire: uti id in ſuperioribus oſtendimus. Cum itaque tanto ſtudio naturam imitentur dæmones, facile tenebras Medicorum oculis offundunt, ut etiam peritiſſimi ſæpius hic titubent, neque magicos à naturalibus facile poſſint diſcernere.

Quamvis itaque hæc impedimento ſint, qvo minus expedite morbos magicos dignoſcere queamus, non tamen, plane impoſſibile illud eſſe, exiſtimandum: Quamvis enim quidam magici à naturalibus non differant, cum ejusdem generis ſint, easdemque cauſas proximas obtineant, animadvertendum tamen, ſymptomata in ſupranaturalibus plerumque longe eſſe atrociora, plane non cohærentia, ſæviora quam naturalis quivis morbus, ætas, & reliquæ circumſtantiæ id permittunt: ut adeo hæc primum de morbis hisce ſignum præbere poſſint. Secundum eſſe poterit, ſi Medici, tam doctrina, quam experientia inſtructi fluctuent, neque propter Symptomatum varietatem, atque anomaliam ſciant ad qvod morborum genus ſint referendi. Habent enim id tales viri, ut non facile ipſis naturale occurrat malum, quod non cognoſcere & ad certum aliquod genus referre queant. Magica autem ipſis negotium facere, tanto minus mirum, quod, ut ſupra monuimus, ſæpe nullus morbus adſit, meraque ſymptomata à dæmone ipſo vel immediate, ut in Ligatis, vel etiam per cauſas toto genere à natura abhorrentibus producantur. Tertium deſumendum à juvantibus & nocentibus. Si nempe medicamenta naturalibus morbis convenientia, nihil plane in his proficiant.

Sed probabilia ſunt, non infallibilia primo recenſita loco. Inveniuntur enim etiam in naturalibus morbis Symptomata admodum horrenda, ut in febribus malignis, paſſionibus hyſtericis, iisque in quibus magna eſt humorum corruptio, ita ut hic quoque medici haut parum perturbentur, ac titubent; in principio ſaltem morbi, primoque intuitu. Tertium paullo certius eſt; Quantumvis enim & alias non raro accidat,

dat, si incrementum adhuc sumit morbus, ut medicamenta non semper optatum finem assequantur, cum omnia tunc in plena sint conturbatione, non tamen in principio statim, & ex unius aut alterius medici medicamentis id dijudicandum, sed ubi multum temporis interceſſit, variique periti præ ceteris viri in consilium adhibiti fuere.

Omnium tamen certissimum est quartum, quod ab excretis & retentis peti solet: Ea enim, si toto genere præter naturam sint, ita ut neque in corpore potuerint generari, neque naturaliter in illud pervenire, infallibile nobis indicium præbent, dæmonem hujus tragœdiæ autorem esse atque protomimum. Talia sunt cumprimis Artificialia quæcunque, fasciculi pilorum nodulo constricti, linteamina, cultri, serræ, claves, ligna, & denique quævis metallica.

Tale est exemplum Puellæ, apud Bartholinum, quæ fascinata, peram coriaceam pulvere pyrio repletam, item deinde aliam ex serico confectam evomuit, quarum ultima plumbum, vitri aliquot, & tria fistulæ nicotianæ frusta continebat. Jacobi Ruffæi ægra loco fœtus, claves, ossa, lapides, ligna, ferri fragmenta, stupas, lanam, & alia ex utero emisit. Glomum ex abscessu femoris cujusdam exstractum vidit *Remigius Part.* I. p. 212. Nuper etiam à Practico quodam non infimi nominis, viro fide dignissimo, audivi, se vocatum ab ægro qvodam, per universum corpus exquisitissimis doloribus excruciato, ex cujus pedibus stupam, lanam, acus, variasque quisquilias extraxerat. Rarissimum etiam est, quod Frommannus ex Dn. Strauch. exemplum habet Equitis, qui in abscessu dorsi felem minorem continebat, vivam, cæterisque sui generis bestiolis exacte similem. Nec minus memorabile est illud Puellæ à *Reies* descriptum. Hæc enim à muliere quadam propter Zelotypiam effascinata, post primum sponsi conventum, muta, post alterum surda, & denique cœca facta est. Postea vero, cum medicamentis nihil proficerent Medici, per verba & incantationes à vetulà quadam curata, pilos, stupas, & duos retortos clavos per vomitum rejecit. Ut adeo in hac, finito demum

mum morbo verè apparuerit , cujus indolis malum hocce fuerat.

Hæc atq; istiusmodi si occurrant, tum certus Medicus esse potest , morbum non ad naturales , sed supranaturales sive magicas pertinere : non quod omnes morbi magici talia signa ostendant , sed quod omnes morbi qui talibus comitantur symptomatis, pro magicis sint habendi.

Quamvis autem hæc signa omnium certissima sint , & Medici Rationales iis omnino fidere possint ac debeant , habent tamen agyrtæ, circumforanei , magi , cæterique fumivenduli, alia adhuc, quæ cæteris omnibus anteponunt. Alii enim plumbo liqvefacto utuntur, quod in aqvam fundunt, certis ad hoc verbis prolatis, atque ex ejus figura morbum dijudicant. Alii contra decocto verbenæ ægrum abluunt , in qua ablutione si pili reperiantur , morbum à fascino esse persuasum habent; si plurimi pili adsint, gravissimum esse malum ; si decoctum nigrum evadat , præsentem esse dæmonem, &c. Sunt denique qui cineres coryli commendant, in matula repositos, ut æger super illos mingat: exhalanda postea urina, cineresque residui perqvirendi. Quodsi enim crines adsint , morbum esse à fascino, sibi imaginantur. Exemplum ancillæ habet Cl. Dominus Præses , quæ suspensis in fornace dominæ suæ maleficiatæ excrementis , mulierem sagam coegit, ut se sisteret. Quam deinde verberibus egregie exceptam, non prius dimisit, quam dominam pristinæ restitueret sanitati.

Sed tædet plura istiusmodi referre , fallacia enim hæc sunt, vana, atque superstitiosa. Neque etiam hæc scripsi , ut ea approbemus aut imitemur , sed potius ut cum omnibus bonis ea detestemur , atque ex arte Medica proscribamus.

CAPUT IV.

De

Signis Prognosticis.

Diagnosticis perspectis, ad Prognostica transgressum facimus: de quibus non multa erunt dicenda, cum ea magnam partem peti debeant ex collatione virium ægroti, & violentia morbi: in genere tamen duplicia nobis morbi magici suppeditantur. Alii enim curationem aliquam admittunt, alii nullam. Hujus generis sunt ruptura tympani, aut corneæ, **Wann die Hexen einem die Augen außschlagen** ꝛc. Hæc enim nunquam consolidari rite possunt.

Qui vero medicam admittunt manum, plerumque tamen diuturni sunt, molesti, feri, & recidivam facientes, uti id ex Codronchii filia patet, sæpius recidivam passa. Idem quoque expertus est Medicus à Mercklino citatus. Diu itaq; se hisce macerant ægroti, absque mortis tamen plerumque periculo: raro enim is seqvitur, nisi tandem temporis longitudine, symptomatum atrocitate, doloribus exquisitissimis, continuisque vigiliis exhaustis spiritibus conficiantur.

In Sylloge Cas. Mag.

Repentina tamen qvoqve morte quosdam fuisse abreptos constat. Sic apud Remigium vir quidam á curru deturbatus, in momento periit, quamvis nullum in corpore læsionis signum haberet. Alexandri Benedicti ægra non nisi unicum diem supervixit: postquam enim acum crinalem, capillamenta muliebria, aliaque evomuisset, eadem nocte fuit strangulata.

Dæmonol. Part. I. p. 192. L. VII, c. 25.

Sed terque quaterque felices, qui his ærumnis brevi eripiuntur; profecto miserrima est eorum conditio, qui his malis diu supervivunt, & continuis illis miseriis, horrendis convulsionibus, doloribusque exquisitissimis quotidie debellantur.

Quod

Quod vero adeo difficiles sint hi morbi, exinde provenit, qvod ipsorum primum movens est supranaturale, Dæmones enim pro sua quam in rebus naturalibus habent notitia, facile medicamentorum vires invertere, vel saltem impedimenta afferre possunt, quo minus solitas in corpore exserant virtutes, aut alio modo obviam eunt Medico, suppeditatis novis morbi fomitibus, sicque morbum in longum tempus protrahunt.

Non tamen plane in hisce casibus desperandum, siqvidem & alia exempla ad manus sunt eorum, qui brevi ex hoc labyrintho evasere. Cabrolii æger postquam ex abscessu pilos, castaneas, vermes, aliaque emiserat, oleo Sulphuris & vitrioli, statim est curatus. Res itaque tota committenda est Deo, à quo omnis salus, omnis nostra felicitas pendet, & Medicamentis idoneis: ad quæ nunc transgressum faciemus. *Obs. Anat. num. 27.*

CAPUT V.

De

Methodo Medendi.

PErspectis itaque morborum magicorum causis, eorumque signis, ordinis ratio jam postulat, ut de Medela eorundem simus solliciti. Quam tamen rite instituere, hoc opus hic labor erit: cum Spiritibus enim nobis res est, qvorum artes non solum non omnimode habemus perspectas, sed etiam, quod primarium est, nullum nobis in iis est imperium. Addo, quod medicamenta quæ hunc in finem circumferuntur, plurima vana sint ac superstitiosa, pauca digna ut in artem recipiantur.

Quo itaque ista hæc ab illis, quæ natura suggerit, eo melius

distinguamus, opus erit, ea omnia quæ hic commendari solent, ordine recensere. Et primo quidem de Amuletis agere animus est, utpote & olim, & nunc etiam usitatissimis. Ex horum classe commendatur plumbum, cui est impressa imago Saturni Planetæ. Hoc enim sinistro pedi applicatum tutum reddere hominem dicunt ab omni fascino. Eleazarum Judæum annulum habuisse, cujus ope in castris Vespasiani dæmoniacos restituebat, Josephus asserit. Kyranus in Kyranidibus tales annulos confici jubet ex ferreo asini freno. De hoc etenim animali veteres credebant, qvod veneficiis resisteret. Unde etiam, ad præservandum, frontem asini seu corium ejus capiti adalligabant: quæ tamen non ultra frontem asini sapere videntur. Nicepsus Ægyptiorum Rex Jaspidem, dracone insignitum, tanqvam summum contra veneficia remedium asservabat, merito tamen à Galeno, istiusmodi nugis infenso, risu exceptum. Idem qvoq; merentur Ephesiæ literæ, de quibus Plutarchus in Sympos. Leporis item imago in Jaspide; Cameli in gemma, cæteraque ex horum classe petita. Hæc enim non magis terrent dæmonem, quam musca elephantem. Alii contra Evangelio Johannis uti solent, illudqve de collo suspendere. De quo tamen recte Wierus: *Scriptura*, inqvit, *nisi animis sit irradicata nostris, mortua manet litera, etiamsi millies suspendatur, alligetur, portetur, affricetur, obmurmuretur, edatur, bibatur, inscribatur, Sigillis aut annulis imprimatur.* Proscribenda itaque merito ex arte medica talia medicamenta: præterquam enim quod vana & nullius efficaciæ, impia quoque hæc sunt, & à Christiano pectore detestanda.

Hiebner in Myster. Sigill.

Reies Qv. 23. id. c. l. Conring. Hermet Med. p. 113.

Artificialibus amuletis naturalia nunc subjungimus. Ex Plantis veteres laudarunt Coriacesiam, Callitriam, Minaidem, Aproxin, Chirocinetam, Therionarcam, Aglaophotidem, Marmaritidem &c. monstra sane nominum, hodie exoleta plane, & cum rebus suis pariter ignorata. Scillam in limine domus suspensam, ut averruncam fascini, item Cyclaminis radicem in horto latam, Plinius describit. Artemisiam in pedibus gesta-

Jordan. de Divin. in Morb. cap. 54. Histor. Natur. L. XX. c. 9.

geſtatam Dioſcorides, Joſephus Baaram radicem, itidem nobis incognitam, laudat, quod ab Eleazaro Judæo dæmoniacorum naribus admota eos liberaverit. De Baccare herba Virgil. Eclog. VII. *De Bell. Iud. VII. c. 23. Matthiolus in Dioſcorid. de Aſaro.*

--- Si ultra placitum laudarint, baccare frontem
Cingite, ne Vati noceat mala lingua futuro.

Ex Animalibus frontem Aſini, item dentes hominis mortui commendat Macaſius Prompt. Med. De ſanguine cati nigri Ronſeus teſtatur. *Venat. Med. pag. 102.*

Et confert catuli nigri cinxiſſe cruore
Interiora domus, murosque obducere rubro
Incruſtamento &c.
Quod ſtrygibus fraudes adimant & faſcinapellant.

De cauda Leonis cit. Autor.

Creditur à multis torvi ſervata Leonis
Pars caudæ prodeſſe viris quos faſcina vexant.

Setam ex cauda mulæ feminas olim circa corpus contra ſterilitatem ligaſſe, Wolff teſtatur in Scrutinio Amuletorum p. 174. Gentilibus in uſu fuit penem pueris de collo ſuſpendere. Ægyptii ſalivam jejunam adhibere ſolebant, *Plinio* notante. Quantum pontificii tribuant Reliquiis Sanctorum, candelis conſecratis, aquæ & oleo benedictis, notiſſimum. Nihil tamen hiſce virtutis ineſſe, niſi accedat fides, piusque Zelus ex Eraſmo patet. Minitantibus enim Sacrificis dæmon reſpondit: *Se pro nihilo ducere minas illorum, quod alter eſſet ſcortator, uterque fur.* Phero Ægyptius viſu à Diis privatus, lotio mulieris, quæ non niſi unicum marem admiſerat, illum ſibi reſtituit, Oraculo ita jubente. *Frommann. de Faſcino. p. 334. L. 28. c. 4. Epiſt. 20. l. 27.*

Tædet plura de Amuletis hic referre, partim enim vana ſunt, & nullius virtutis, partim ſuperſtitioſa atque diabolica, quæ imitari non licet. Propterea merito ab Hippocrate, Galeno, omnibusque cordatioribus Medicis jam olim ſunt deriſa, & ex Arte relegata. Quicquid enim *Herodot. L. II.*

obtinent virtutis, plerumque ex confidentia & imaginatione eſt. Sic exempla exſtant ruſticorum, qui ex craſſa ignorantia ſchedulas Medicorum, Receptas dictas, devorarunt, & exinde convaluere. Simile quid de femina quadam narrat *Wolffius*. Hæc enim amuletum contra ophthalmiam à Studioſo quodam obtinens, curata per imaginationem eſt: cum enim deinde ſchedulam aperiret, nil niſi ſequentia inveniebat: *Diabolus eruat huic vetulæ oculos, & impleat ſtercore cavitates.*

Scrutin. Amulet. p. 167.

Præter imaginationem vero dæmones ſuas quoque in tali curatione tenere partes, nullus dubitabit, niſi qui ab Ægyptiis eam eſſe profectam ignorat. Plurima enim hæc gens medicamenta ab ipſis dæmonibus acceperunt, ita ut tota ipſorum medicina magica audiat Conringio. Præſidium enim quod quidam hic in aſtrorum quærunt influxu, nullum eſt. Præterquàm enim quod nulla firma id conſtet ratione, ab ipſis etiam Ægyptiis non fuit creditum. Tribuebant nempe illi hanc virtutem Decanis, Aſtrorum Præfectis, qui erant ipſi Dæmones, ſe patronos aſtrorum mentientes, æque ac Planetarum Principes ſe dicentes, hodiernis Magis ſub illa ſpecie imponunt. De illis ita *Jul. Firmicus: Nicepſus*. inquit *Ægypti Juſtiſſimus Imperator, optimus quoque Aſtronomus, per ipſos Decanos omnia vitia valetudinesque collegit, oſtendens quam valetudinem quis Decanus efficeret. Et quia una natura ab alia vincitur, unusque Deus ab altero, ex contrariis ideo naturis, contrariisque poteſtatibus, omnium ægritudinum medelas divinæ rationis magiſteriis adinvenit.* Singula autem zodiaci ſigna ternos habere Decanos ſtatuebant, qui magnæ ſint poteſtatis, adeo, ut per illos omnia proſpera & infortunia decernantur. Quod adhuc magis elucet ex illis Hermetis Triſmegiſti de Oraculis, à Reies citatis: *Evocantes animas Dæmonum vel angelorum eas indiderunt imaginibus ſuis, divinisque myſteriis.*

Herm. Med. p. 114.

L. IV. c. 6.

Conring. Herm. Med. p. 110.

Camp. Elyſ. Quæſt. 23.

Et

Et Ill. Conringius, *Utique*, inquit, *ipsosmet Ægytios Diis suis eam* (Medicinam) *tulisse acceptam abunde manifestum. Et vero vel incantamenta vel libamina dæmonum, vel figuras insculptas vel inscriptos characteres addere herbis aut lapidibus non posse naturalem aliquam vim, constat. Valent nimirum tantum ut symbola ex constituto seu tacito seu expresso geniorum aut spirituum ὑπερφυσικῶν. Eoque subtrahentibus spiritibus illis vim suam, nihili sunt, & mera quasi ludibria. Ægyptiis autem non bonos sed malos genios operam suam locasse, nemo dubitabit nisi qui ignorat, illos omnium hominum superstitiosissimos fuisse cultores dæmonum.* Neque ipse, qui tamen Amuletis Characteribusque adeo favit, impostor *Paracelsus* idem de illis profiteri erubuit: *Syrupi*, dicens, & *Apozemata sunt medicina hominum, verba & characteres dæmonum* Usus tamen iis sæpius est, *nihil referre* dicens, *an Deus, Angeli, aut Diaboli opem ferant, dummodo quis sanetur*, adducens illud Lucæ. I. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* In quo tamen cum illo consentire non possumus, quoniam à piis hominibus semper hæc medicamenta improbata, ab Imperatoribus vero Antonio Caracalla, Constantino, aliisque jam olim fuerunt interdicta, prohibitaque.

Herm. Med. p. 115.

Jordan. de Divin. in Morb. c. 51.

Cæl. Rhodiginus Lect. Antiqu. Reies Camp. Ebyf Quæst. 23.

Pergimus itaque ad secundum curandi modum, qui fit per verba & incantationes. Qui in magno apud veteres Ægyptios, Judæos, itemque Romanos olim usu fuit. De Ægyptiis jam satis id constat: & Jachenem ingens sibi inter illos nomen suis incantamentis & periaptis acquisivisse, Jordanus ex *Suida* tradit. Judæorum Cabala notissima est, ex qua illorum Schemhamphoraſch propullulavit: quo ipsum nostrum Salvatorem sua miracula edidisse, calumniatores eunt persuasum. Neque Romanos intactos plane ab hac superstitione fuisse, patet ex isto Virgilii.

Car-

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.

Plinius multum etiam hisce fidit ineptiis. Hispania suos quondam Salutatores habuit, qui pronunciatis Institutionis S. Cœnæ verbis ægros restituebant. Inter Germanos Agrippam, Paracelsum, aliosque huic itidem superstitioni fuisse patrocinatos, certissimum. Credebant enim, aut saltem persuasum volebant hominibus, nominibus propriis inesse radios rerum, quas significant, hincque istiusmodi pollere virtute. Sed non sufficere hanc rationem, neq; naturaliter verba tales obtinere virtutes posse, accurate ostenditReies, inter alia afferens: *Naturalis vis verbis nulla inest, alias nomen ignis prolatum ureret*: Quod verissimum omnino est. Inanem autem omnino hanc rationem esse, exinde quoq; apparet, quod quædam incantationes & exorcismi ex verbis constant nihil significantibus & minime cohærentibus, quæ propterea nullos rerum radios obtinere possunt, per quos agant. Tale illud est in canis rabidi morsu. *Hax, Pax, Max, Deus Adimax* item notissimum illud Alexandri Tralliani ex Quint. Sereno Febrifugum *Abracadabra*. Vide hic Fromannum de Faseino, Ubi plura hujus farinæ inveniuntur. Hæc sane per rerum radios agere non possunt, cum rem nullam significent: Unde etiam Jamblichus, rationem redditurus Porphyrio, cur tanta præstarent solis verbis nihilq; significantibus Ægyptiorum Sacerdotes, ad Deos confugit. Non itaque radii rerum sunt, sed dæmones qui verbis tantam conciliare virtutem possunt. Neque obstat quod interdum incantamenta ex sacris constent nominibus. Quale fuit stipticum illud Cardani: *Sanguis mane in te, sicut Christus fecit in se. Sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna. Sanguis mane fixus, sicut Christus quando fuit crucifixus.* Sunt enim hæ dæmonum artes, ut sub specie pietatis, homines eo facilius seducant. Hinc quoque est, quod non sem-

per

per opem ferant incantamenta, aut, si id faciunt, plerumque in majus præcipitent periculum. Sic febres per verba & ceremonias in momento curatas vidit Fernelius, multo fortius tamen postea recurrentes. Dio Hadrianum aqva intercute laborantem incantamentis restitutum observavit, cujus tamen corpus brevi post aquis quasi fuit inundatum. Præstat itaque hæc dubia & periculi plena remedia omittere, & cum Gabriele Ayala concludere,

Vana superstitio procul hinc, magicique susurri,
Nemo tanti, à quem decipiatur, emat.

Sequitur nunc tertius modus, nempe Transplantatio: Quæ est actus, quo morbus ex uno subjecto in aliud mediante Mumia seu spiritu nostro vitali transfertur. Putant nempe Magi, iique omnes qui istius modi curationibus studeant, latere in vilissimis corporis nostri partibus, ipsisq; etiã excrementis spiritum nostrum vitalem, adeo ut separata etiam atque à corpore rejecta, mediante hoc spiritu cum illo conspirent, & sympathiam habeant. Quandoquidem tamen hicce spiritus ex subtilissimis corpusculis constat, adeoque materialis est, materia autem bruta est, motusqve omnis expres, hinc ad movens aliquod confugere opus habuerunt, atque in hunc finem Spiritum mundi Universalem excogitarunt. Hunc movere istas particulas, tam è corpore ægroti, quam è Mumia seu transplantationis instrumento emanantes, ut modo huc modo illuc fluant refluantque: quo affluxu refluxuque tandem fieri, ut æger pristinæ sanitati restituatur, è contrario vero subjectum illud in quod mumia est transplantata, morbo illo afficiatur, quo ægrotus antea laborabat. Verum & hanc medendi rationem ceteris nihilo esse meliorem, latente in tenebris infernalibus vera causa, vel id unum testatur, quod infaustus exitus, eos qui se tali submiserunt, plerumque tandem premat: cujus rei exempla vel hic etiam illustria prostant, non tamen temere propalanda. Quod autem hic Autores ad Sympathiam confugiunt, quam in rebus esse perperam supponunt, non meretur attendi: neque enim ulla vel probabili ratio

ne, vel experientia quicquā de ea conſtat. Certe quod de vinis, tempore qvo vineæ floreſcunt, fermentantibus, in ejus defenſionem afferunt, vanum omnino eſt. Neque enim vino omni in genere, neque ſemper, neque eodem tempore fermentatio accidere ſolet: uti omnibus œnopolis eſt notiſſimum. Ut adeo, quicquid in his fit, aliis de cauſis fieri, dicendum ſit. De naſo autem illo factitio, ſimul cum venditore ſuo emoriente, fictitium plane eſt: nemini enim unquam naſum talem, ex peregrina certe carne, eſſe affixum, niſi forſan illi qui hoc temere credit, certiſſimum. Taceo ſtercora humana combuſta, hydrargyrum aliaque quæ Digby laudavit, auctor hujus ſententiæ, in his omnibus jamdudum mendacii convictus: Corruit itaq; ſuis fundamentis innixa omnis Sympathia. Neque melius fatum meretur Spiritus ille mundi univerſalis: nam quod de illo nobis blaterant, non modo fabuloſum, ſed etiam ſuſpectum eſt. Primum enim talem ſpiritum Mundi exiſtere, gratis aſſeritur, nec idoneo argumento ullo conſtat. Nam quod ad experientiam provocant, manifeſtime committunt petitionem ejus quod in principio eſt quæſitum: aliud autem argumentum nullum afferunt. Sed poſito etiam tali ſpiritu, nondum tamen exinde ſeqvitur, tranſplantationem morborum hujus interventu naturaliter poſſe fieri. Hoc ut eo magis pateat, in naturam Tranſplantationis paucis erit inqvirendum. Antequam tamen id fiat, præſupponimus; Primo, Spiritum illum mundi, eſſe ens, quod non libere, ſed ex neceſſitate agat. Debet enim eſſe adſtrictum Legibus illis quas Deus rebus naturalibus ab initio indidit; Si enim libere ageret, nihil certi in rerum natura eſſet. Si itaque ex neceſſitate agit, ſequitur quod ſecundo: Poſitis omnibus ad certum finem requiſitis, neceſſario ille debeat ſeqvi, poſitis enim cauſis ſequitur effectus.

His ita præmiſſis, tranſplantationem ipſam aggredimur. Qvandoqvidem autem in rebus naturalibus ſenſus & experientia potiſſimum ſunt conſulenda, etiam ex illis de hac erit judicandum. Obſervatum itaque eſt, Tranſplantationem fieri me-

dian-

diantibus capillis, ungvibus, ſanguine, ſaliva, humoribus excrementitiis, cæterisque recrementis, veſtibus item, aliisque rebus externe tantum corpori ægroti admotis, & poſtea alteri cuidam ſubjecto, vel interne vel externe applicatis.

Mulier apud Petr. à Caſtro, nodulum, quem offenderat, diſſolvit, invenit in eo reſegmina unguium & capillorum, & protinus febre quartana eſt correpta. Illa, hoc morbo aliqvandiu conflictata, ad idem confugit remedium, & ſtatim à morbo eſt liberata. Schultzii vidua ictero laborans, cum nullis medicamentis quicquam proficeret, urinam acervo formicarum ſuperfundendam curavit, & hoc modo morbum tranſplantando, curata eſt. Contra Virginem novi verrucis vexatam, quæ ut ſibi mederetur, lardo eas inungens, illud poſtea terræ commiſit, nihil tamen inde præſidii obtinuit. Remigii magus, cum maleficium, quo vir quidam, erat faſcinatus, in ejus filium tranſplantare vellet, ſubito, quoniam nutrix cum illo effugerat, extinctus eſt.

Poſſemus plura iſtiusmodi afferre, ſed ex his ſatis patere crediderim, quid de curatione per transplantationem ſit judicandum. Nam licet exempla adſint transplantationis bene ceſſæ, ad manus tamen etiam ſunt, quæ votis eam non ſemper reſpondere oſtendunt, quod & antea monuimus. Si itaque naturalis eſſet transplantatio morborum, nunquam, ſi nempe omnia ejus requiſita adſint, falleret, quod tamen in virgine modo recenſita factum. Aderat enim 1. Morbus, 2. Objectum transplantationis, Terra. 3. Denique Medium, lardum nempe. Spiritus igitur mundi, poſitis omnibus ad agendum cauſis, non poterat non operari. Forſan tamen deerat confidentia? Deerat certe. Sed quid illa ad transplantationem? Fit enim hæc, uti ajunt, mediantibus corpuſculis a ſpiritu univerſali motis; confidentia vero eſt actus immanens, propterea qve illas particulas extra corpus movere non poteſt. Aderant itaqve præter confidentiam, in virgine omnia quæ ad transplantationem neceſſaria ſunt

reqvisita, quibus propterea effectus respondere debuerat. Quod cum non factum, eam pro naturali operatione habere non possumus.

Præterea ex Remigii exemplo patet, Dæmones se huic operationi immiscere, suamqve personam sub spiritus mundi nomine ludere. Dæmonis enim opera Magus ille transplantare nitebatur malum, ejusqve opera ipse etiam periit. Et vero is ipse est spiritus ille mundi. Nam spiritum esse, palam est: Mundi autem Principem ipse Salvator noster, os veritatis, eum nuncupavit Joh. XIV. Est ergo Spiritus mundi, alio licet significatu, sub quo vaferrimus latere voluit. Si autem quis adhuc de transplantationis vanitate dubitet, is, quæso, inspiciat morbos contagiosos, eorumque phænomena. Hi sane ab ægrotis transplantantur in adstantes, mediantibus effluviis venenatis, ita ut plerumq; in plures istiusmodi lues abeat. Ægrum autem qui primo cæteros suo malo infecit, inde levamen aliquod sensisse, aut plane convaluisse, nunquam usque huc observatum. Cur vero hoc non fit, si naturaliter mutatio talis sanitatis & ægritudinis à fictitio illo mundi spiritu fieri possit? Sed vanum hoc, quicquid de transplantatione, ejusque affertur causis, esse commentum, qvotidiana docet etiam experientia: neque enim ægroti absque summo periculo tangi, tractari, vestesque ipsorum gestari possent, quod tamen quotidie absque ullo incommodo fieri videmus. Podagricos novi, qui catulos alunt ipsorum pedes lambere adsvetos, ut doloris aliqvod habeant levamen, nunqvam tamen illos inde fuisse curatos, aut canem ægrotasse mihi contigit observare. Nulla itaque datur morborum transplantatio, naturalis quidem: datur vero aliqua, si accedat vana confidentia & temere suscepta persvasio. Quæ tamen non a Spiritu mundi universali, utpote non libere, & pro intentione hominis, sed secundum Leges Naturales agente, proficisci potest: Sed perficitur potius ab Ente qvodam libere agente, atq; intentioni hominum se accommodante. *Quod ex ordine dæmonum*

monum esse, *non autem bonorum angelorum*, *haud immerito colligas ex superstitione*, *opus plerumque comitante*, *quæ bonis geniis invisa*, *malis pro illicio est ad pejora*. Verba sunt *Ill. Conringii*.

Idem quoque judicium meretur unguentum armarium, utpote eodem superstructum fundamento. Neque enim naturale illud esse, sed magicum remedium, jam olim *Ill. Conringius* luculenter ostendit. Pulvis autem sympatheticus, nisi sub certa constellatione, ut loqvuntur, confectus sit, sæpissime fallax, sæpissime etiam naturali modo agit. Itaqve nihil præsidii affert de peratæ huic causæ.

Huc etiam merito refertur curatio per urinam, quæ nunc ad id fastigii pervenit, ut ægrotis, absentibus licet, multisque milliaribus distantibus, vomitum, alvum, sudores &c. movere sciant hujus artis cultores. Quandoqvidem autem ex supradictis satis constare potest, eam ad classem magicarum pertinere, hinc mirum videri posset, in Anglia, Belgioque ipsius professoribus locum esse relictum eam publice exercendi. Tam recepta enim ibidem est hæc ars, ut homines isti grandibus præ ædium foribus appensis tabellis, cum inscriptione *Doctor Sympatheticus* eam publice profiteri non vereantur. Horum aliqvot sibi innotuisse artemque ab ipsis didicisse D. Ethmullerus scribit in sua, quam de Corpore Humano Sympathetico habuit, disputatione. Sed nullum ipsi in rerum natura subesse fundamentum, nec eventum exspectationi quoad singula respondere, ibidem ultro fatetur.

Pervenimus ad modum curandi per imagunculas. Quas ex ligno aut cera confectas nomine ægroti appellant Magi, aut baptizant, sicque horum interventu omnes morbos vel tollunt vel inferunt. Goccelius exemplum habet pastoris, qui mira suis imagunculis præstitit. Sed diabolicam plane esse hanc curandi methodum, neque cum Christianismo stare posse, mecum omnes bonos professuros confido.

Ritus adhuc quidam veniunt commemorandi, à veteribus contra fascinum in usum tracti. Sic quibusdam solemne

erat tribus vicibus exſpuere, fortaſſis qvod ſalivam pro medicamento in his caſibus conducente habebant. Alii medium digitum oſtendebant, ſine dubio quod penis exprimeret figuram. Penem enim ad præſervandum a faſcino veteres adhibuiſſe ſuperius diximus. De medio digito Perſius Sat. II. v. 32.

Frontemque atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

quod adhuc dum in Hiſpania fieri Wolffius teſtatur. Ablutione manuum quoque veteres contra faſcinum fuiſſe uſos, autores notarunt. Nota etiam eſt & conſveta in ligatione, mictio ſuper ſcopas, aut per foramen, itemque annulum ſponſalem. De quibus vide Wolffium, Frommannum, Goccelium, aliosque qvi plura iſtiusmodi collegere. Nos miſſa hæc facimus, vana enim ſunt, ludibriaque mera, neque vel in dæmones, vel corpus noſtrum ullum obtinent imperium. Longe autem felicius curatio inſtituitur deſtruendo ſigna magica, aut Lamias verberibus adigendo, ut ſanitatem ægro reſtituant. De quibus tamen modis non omnes idem ſentiunt, aliis eos approbantibus, prohibentibus eosdem aliis. Nos hic noſtrum ſuſpendimus judicium, lectoremque remittimus ad *Bodinum*, *Remigium*, & denique *Jordanum*, ubi quid de his judicandum, ex argumentis, pro & contra allatis, quilibet facile perſpiciet.

Ad ultimam itaque medicamentorum claſſem, quam plantæ conſtituunt, nunc tandem accedimus. Jordanum ex Orpheo, Pythagora, Democrito &c. Callitiam, Coriaceſiam, Oſiritin, Cynocephaliam, aliasque plures ut ſpecificas in morbis magicis recenſere, jam monuimus: Quarum tamen notitia ad nos non pervenit. Sequens deinde ætas Hypericum, Verbenam, Antirrhinum, Rutam, Capillum Veneris, Artemiſiam, Laurum, Moly, Betonicam, Herbam Paridis, Abrotanum, Thapſiam, Ariſtolochiam, Centaurium, Verbaſcum, Viſcum colurnum, aliaque multa ſubſtituit. Ex quibus deinde compoſita conflarunt Carrichterus, & Mylius in ſuis Arcanis Mylianis, qui videri poſſunt. Ego

Ego horum medicamentorum usum neq; approbarè, neque reprobare possum, experientia sufficienti destitutus: Pro specificis tamen ea vendere, atqve sine discrimine in morbis magicis adhibere, non conveniens duxerim rationi. Necessũ enim foret, ut vel spiritus ipsos arceant, quod tamen impossibile & sufficienter refutatum à Reies, vel ut morbos qua tales, è corpore eliminent. Ad quod tamen non erunt sufficientia, cum quilibet morbus habeat suas peculiares causas, suaque medicamenta requirat. Unde Nesterus à Wolffio citatus, decantata alias in morbis magicis specifica, vana omnia in muliere qvadam dæmoniaca expertus est. Neq; hoc mirum: ostendimus enim superius, non semper immediatè Dæmones in corpora nostra agere, sed interventu rerum naturalium. Hinc pro diversa illarum natura, diversos etiam provenire morbos, qui propterea etiam diversam medelam postulant. Consul. laudatissimi Conring. Dissert. de Incant. §. XXVI. ubi hanc sententiam firmat rationibus, ut solet, evidentissimis. Præterea cum & Symptomata, in morbis magicis plerumque sint longe atrociora, non quibuslibet promiscue hic agendum putamus, sed talibus, qualia cujusvis morbi genius & natura requirit. Atque hoc eo magis, quod hi morbi & periculosiores sunt naturalibus cæteris, & curatu difficiliores, qvoniam spiritus sese immiscent. Non itaque negligenter sunt tractandi, sed omnia molienda, quæ morbus, ætas, vires que ægroti vel postulare vel admittere videntur.

Et primo quidem Universalia merito, hic commendamus, eaque omnia quæ humores noxios corporis nostri, imminuendi aut educendi vim obtinent. His enim impediri potest, ne nociva illa, nobis ingesta, tam facile virulentiam suam exserere possint. Ex his primas tenent Evacuantia cum ἀνὼ tum κάτω. Et vomitoria quidem potissimum, si in hypochondriis latea t prava materia, & pili, carbones, & similia ejiciantur sponte, aut alio modo de iis constet. His Rulandus & Freitagius dæmoniacos non semel se curasse testantur. Sunt autem nota: Crocus metall. & ex eo confectus Tartarus Emet. Vitriolum vomitorium. Ala-

rum

rum, & Spiritus Lindani usitatissimus. Imo & Helleborus adhiberi potest, ubi opus.

Quodsi in intestinis, aut visceribus aliquid latere suspicio est, purgantia prosunt. Expellunt enim cum ex primis viis, tum istis etiam si quid præternaturale ipsis inhæret: Humores item crassos, pituitosos; incidunt, atq; è corpore educunt. Nec raro in atro tali humore, tanquam in nido, latitantem Dæmonem his fortioribus ejectum esse, experientia fidem fecit. Commendamus autem hic Fol. Senn. Helleb. radices & Folia, Polypod. Epithym. cumprimis: idq; præsertim in Melancholia, pulvinari Diaboli, qua præ ceteris Spiritus hic infaustus delectatur. Convenit autem hic etiam V.S. ceu primarium atri humoris, teste *Platero*, educendi remedium.

Secundum locum Sudorifera & Diuretica sibi vendicant: Attenuant enim humores, obstructiones tollunt, & circulationem sanguinis in qua Sanitas & vita nostra consistunt, in pristinum reducunt motum. Ita *Henricus ab Heer*, Medicus minime vanus, *Obs.* 13. testatur, quendam juvenem incantatum & philtro excruciatum exhibito Ludo Paracelsi, seu calculo humano in pulverem comminuto, copiosa urina emicta, sanatum esse. idque se postea experientia didicisse, philtro potatis multum profuisse, teste Conringio c.l. §. 33.

Quandoquidem etiam morbi magici horrendis plerumq; sunt comitati symptomatis, & ægroti continuis convulsionibus, doloribusq; exquisitissimis sunt obnoxii, hinc ut opiata semper ad manus sint ex re ægri potissimū fore, crediderim. Hæc enim sunt quæ spirituum animalium motum depravatum in ordinem redigere, & cruciatus corporis nostri lenire ac consopire possūt.

De Universalibus hactenus. Nunc etiam de specificis agendum esset. Quoniã tamen, uti in superioribus monuimus, morbi magici duplicis sunt generis, unū quod ex naturalibus causis ortum ducit, & naturales morbos æmulatur; alterum quod ex meris constat symptomatis, à causis toto genere præternaturalibus provenientibus, facile cuivis patere crediderim, ultimam hanc classem nulla specifica admittere. Si enim specificum

cum contrarium esse debet causæ, quid metallis, lignis, fasciculis pilorum, aut aliis artificialibus contrarium esse possit, non perspicio. Quapropter, si tales morbi occurrant, universalia ante dicta, vomitoria purgantia &c. potissimum in usum erunt trahenda. Opiata etiam, eaq; omnia qvæ dolores, vigilias, cæteraque symptomata tollere ac mitigare possunt.

Alterum morborum magicorum genus specifica quidem admittit, iisque debellari etiam debet: Nolumus tamen hic eorum quicquam recensere, ne in immensum nostra excrescat dissertatio. Ablegamus potius B. L. ad Autores Practicos, ut ex iis medicamenta cuivis morbo propria & specifica petantur. Cum enim omnis generis morbos producere possint dæmones, curatio etiam pro cujusvis morbi natura erit varianda. Poterunt tamen & prædicta illa in morbis magicis specifica in usum trahi, ne quid neglexisse Medicus videatur. Polychresta imprimis, ut *Viscus colurnus*, *Ruta*, *Antirrhinum*, *moly* & præ ceteris *Hypericum*, quod *Fugæ* Dæmonum nomen sortitum est, *Abrotanum* item *Verbena*, *Succisa*, & bene odorata etiam, qui spiritus confortant. Hinc Aliqui & *Ambram* collaudant, *moschumque*. Reliqua quæ sunt, pleraque omnia Eberhardus Gokelius, in tractatu Magico medico diligentissime collegit, quem nobis expilare non vacat: itaque Lectorem Benevolum ad eum ablegatum volumus.

Unicum tamen restat specificum sive potius Panacea, preces nempe & divini auxilii invocatio. Hæc enim uti in omnibus nostris morbis, sic in magicis potissimum sunt necessariæ: Et, si unquam alias, certe hic tenendum illud Poetæ.

Ni Deus affuerit, vires que infuderit herbis
Nil tibi Dictamnus, nil Panacea juvat.

Si itaque felicem volumus eventum, sub ejus potentissimo auspicio medela omnis & inchoanda, & sub eodem qvoq; erit finienda.

TANTUM.